Q. D. B. V.

DE

USU BROCARDICI, NON OMNIS MORIENS EST S. JOHANNES BAPTISTA,

IN

JURAMENTIS LITIS DECISORIIS,

AMPLISSIMI JCTORUM ORDINIS CONSENSU,

PRÆSIDE

RECTORE ACADEMIÆ MAGNIFICO,

BALTH. TILESIO,

U. J. D ET PROF. ORD. SECUND.

PRO IMPETRANDA IN UTROQUE JURE LEGENDI FACULTATE

DISSERET,

CARL. THEODOR. LIENEMANN,

U. J. CANDID.

AD DIEM 22. SEPT. AO. M.D.CC.XXIX.

IN AUDITORIO MAXIMO.

REGIOMONTI, Typis REUSNERIANIS.

INCLYTÆ REGIOMONTANÆ CIVITATIS
REGIÆ

PATRIBUS CONSCRIPTIS,

VIRIS

MAGNIFICIS, PRÆNOBILISSIMIS, EXCELLENTISSIMIS ET CONSULTISSIMIS,

CONSULIBUS, CONSILIARIIS,

ET

SECRETARIIS,

Magnis Patronis & Mæcenatibus suis colendissimis.

Nec non

SCABINATUI AMPLISSIMO,

VIRIS

PRÆNOBILISSIMO, NOBILISSIMIS, AMPLISSIMIS ET CONSULTISSIMIS,

PRÆSIDI, hujus judicii dignissimo.

SCABINIS, omnium ordinum meritissimis,

ATQUE


SECRETARIIS,

Patronis, Fautoribus, ac Promotoribus suis singulari observantia prosequendis,

Hancce dissertationem juridicam in ulteriorem sui commendationem obsequiosissima animi gratitudine dicat ac sacrat

CARL. THEODOR. LIENEMANN.

§. I.



Rocardicon, quod in jure, commune aliquod axioma notat, ab Episcopo Wormatiensi, Brocardo Italis dicto, qui seculo undecimo vixit, & jus pontificium primus ad generales regulas revocavit, nomen habet. *Stryk. in præcogn. Jur. c. 8. §. 14.*

§. II.

Nostrum a recentioribus alias communiter sic exprimitur: *Non omnis moriens est S. Johannes Evangelista.* Sed rectius secundum antiquiores loco Evangelistæ Baptista ponitur, quia α) licet & Johannes Evangelista una quidem cum omnibus reliquis satis verax sit, imo illos ratione dogmatum sublimium longo post se intervallo relinquat, peculiariter tamen a constantia Baptista, & exinde, quod libere veritatem usque ad finem vitæ propugnarit, clarus est. Quo β) accedit, quod hic tam miraculosa sua nativitate, quam vitæ genere Christo, qui ipsa veritas est, quam proxime accesserit, unde & nullum inter homines ex conjugali consvetudine natos eo majorem prædicat. *vid. Matth. c. 11. v. 11.*

§. III.

Usus Brocardici in eo consistit, quod ut id in causis aliis, sic & in juramentis ac illis quidem potissimum litis decisoriis eo fine allegari soleat, ne pro præstitis, ubi illorum præstationem mors juraturi antevertit, reputentur. Ratio enim ex mente id allegantium hæc est: quod nempe non omnis, qui, dum sub juramento aliquid asserere

vult aut debet, moritur, hoc ipso ad instar S. Johannis Baptistæ veridicus ac justus præsumatur.

§. IV.

Sunt juramentorum interim decisoriorum litis, seu talium, per quæ directe lis extingvitur, species, quarum adhuc in foris creber usus est, tres imprimis: Scilicet 1) juramentum judiciale, quod pars parti, comprobatione judicis accedente, in judicio defert. 2) Suppletorium, quo judex eum, qui semiplene probavit, ad supplendam intentionis suæ imperfectam probationem adstringit, & 3) Purgatorium, quod illi, qui præsumptionibus ad semiplenam probationem haud sufficientibus gravatus est, imponit.

§. V.

Apparet autem facile, minus recte ad hunc canonem tunc provocari, ubi vel juramentum defuncto nullum adhuc delatum aut impositum, vel ab eo, antequam moreretur, deferenti rursus relatum, aut citra relationem alioquin ab eo plane recusatum, aut si ipsi ab illo, qui rerum suarum administrationem non habet, verbi causa, a prodigo absque consensu curatoris delatum fuit. Nam hisce casibus id pro non præstito haud quicquam ideo, quia & moriens mentiri aut pejerare potuit, sed quoniam id apud defunctum non fuit aut remansit, aut defectus ratione personæ deferentis adfuit, habetur; qui enim juramentum vult deferre, ut, & jus illud deferendi, & liberam res suas administrandi potestatem habeat, necesse est. *L. 17. §. 1. & L. 35. §. 1. π. de jurejurand.*

§. VI.

Atque hinc ex causa quadam in §. antecedente exposita, & non ex sensu axiomatis nostri, mercator ante

jura-

juramentum ſibi impoſitum mortuus, nequaquam rationes ſuas juramento *propter mortem* confirmaſſe credetur. *vid. Stryk. in Uſ. mod. P. tit. de jurej* §. *42.* imo nec quoad *recuſatum*, præſumptio talis aliquando neceſſaria erit, veluti ſi creditor conqueratur, ſe eam pecuniæ ſummam, quæ in apocha ſua continetur, haud accepiſſe, & debitori eo nomine, lapſis a die apochæ triginta diebus, jusjurandum deferat, hic vero, dum illud præſtare recuſat, moriatur; Etenim poſt ſpatium præterlapſorum tot dierum nec vivus ad juramentum amplius cogi potuit, vid *Sande lib. 1. def. 1. Tit. II.* quia contra legem tunc jusjurandum ipſi delatum fuit *L. 14* §. *3. C. de non num. pec.* & debitor ex literis & lapſu temporis ſolutionem jam probavit, hinc ſuperfluis probationibus onerandus non erat.

§. VII.

Vere igitur juxta regulam noſtram juramentum a defuncto pro non præſtito habendum erit, ubi illud ipſi ab eo, qui jus deferendi habet, delatum aut impoſitum eſt, nec ante mortem cœterum id retulit, vel præſtare renuit, ſed acceptavit.

§. VIII.

Sed quod jam ſecus ac hoc axioma vult, jusjurandum a mortuo, qui vivus id præſtare haud recuſavit, pro præſtito, & quidem ex conſcientia illæſa, reputandum ſit, ob oculos id ponit, 1) quod alias qui jurare voluit, mortuus in peccato cenſeri debeat; atqui vero quilibet ſalutis ſuæ, maxime in agone mortis, cenſetur memor eſſe, vid. *L. ult. C. ad L. Jul. repetund.* Quo 2) accedit: quod, ſi hoc caſu regula noſtra fidem morientis in ſuſpicionem adduceret, ob illam æque & jurantis fides vacilla-

re deberet, nam nec omnis jurans est S. Johannes Baptista. *Beyer in posit. ad ff. tit. de jurejur. p. 255.*

§. IX.

Verum rationem primam initio deplorata multorum, quæ vel sub mortem solet ac potest esse, impietas redarguit. Quemadmodum tamen nec deinde sequitur; hic curam animæ ac æternæ suæ salutis morti proximus habuit, ergo & in fata absque mendacio & perjurio, quod vivus admisisset, concessit. Potuit enim ut cœterorum, sic & hujus peccati, quod se ad jurandum obtulerit, cum probe nosset, se jurare non posse, veniam ac remissionem obtinere, atque hinc, & citra prolatam veritatem, bene mori.

§. X.

Quoad secundam rationem hæc inter morientem & jurantem diversitas occurrit, juxta quam nimirum ille jusjurandum adhuc nullum, hic vero actualiter illud jam præstitit, ac ita DEum in testem veritatis ac ultorem perjurii diserte invocavit; unde assertio illius tamdiu fidem meretur, donec falsi manifeste non convincitur, in foro enim non ad internam jurantis scientiam sed ad externum actum respectus habetur, vid. *Puffend. Lib. 4. de I. N. & G. c. 2. §. 5.*

§. XI.

Hinc alii effectum demum jurisjurandi actualis morti tunc attribuunt, ubi non solum defunctus juramentum ante illam acceptavit, sed & præterea ad præstationem ejus expresse se obtulit, quo sic responsum Facultatis juridicæ Wittenbergensis *a Beyero in positionibus ad ff. p. 255.* adductum perspicue pertinet, ibi: Weil Christian Schle-

gel den ihm zuerkandten Eydt abzulegen sich erklähret, sich auch dazu angegeben, darüber aber verstorben, so ist solcher Eydt pro præstito zu halten, und demnach Beklagter Klägern die angegebene 33. Rthlr. 8. Gr. binnen Sächsischer Frist zu bezahlen schuldig. *confr. Stryk. ad Comp. Lauterb. verb. impleto p. 323.*

§. XII.

Aſt dubitamus interim num mortuus & quoad hunc caſum, alibi ac ſpecialiter in Pruſſia pro jurante habendus ſit? Sane dum jus Prutenicum *P. 1. Lib. 1. a. 7. p. 150.* etiam tunc, ubi jurandi terminum defunctus præterire non eſt paſſus, ac adeo judici intra illum, ad præſtationem juramenti, ſe obtulit, jusjurandum credulitatis ab hæredibus illius adhuc exigendum eſſe, ſancit, in ſententiam hic contrariam eundum erit.

§. XIII.

Sunt ergo qui ad mortem juramenti vicem hic ſuſtinentem tria requirunt 1) ut defunctus ante eam id acceptaverit, 2) ad præſtationem ejus expreſſe ſe obtulerit, & 3) alter ſeu adverſarius per dilationes, aliisque modis impedimento fuerit, quo minus id præſtari potuerit. vid. *Thomaſ. in not. ad ff. p. 151. & Ludovic. in doctr. ff. p. 233. §. 24.*

§. XIV.

Verum ſi & ob hoc tertium requiſitum pro jam præſtito, jusjurandum adhuc præſtandum, haberi debeat, ita, ut nullum amplius, ac ne juramentum quidem credulitatis ab hæredibus defuncti exigatur, quod tamen, ubi juſtas impetrandi dilationem cauſas adverſarius habuit, afferi nequit, ſane in caſu culpoſæ tergiverſationis, eam id firmitatem non tam ex morte jurare volentis, quam ex

 dolo

dolo & culpa adverſarii obtinebit, quæ huic in ſpecie quoad judiciale tanto magis imputabitur, quoniam id alteri ipſe detulit, ac deferendo ſic cum eo transegit. Et hinc eſt, quare, adverſario ad citationem juraturi contumaciter emanente, ab hoc juramentum vel adhuc vivo pro præſtito habeatur. vid. Pr. Lr. *P. 1. Lib. 1. p. 146.* §. 3. *Carpz. P. 1. C. 12. def. 28.*

§. XV.

Sed annon interim in ſpecie ad juramentum ſuppletorium vel requiſita duo priora ad id, ut per mortem defuncti pro præſtito reputetur, jam ſufficient? Videtur hoc exinde aſſerendum, quoniam, ut in judiciali jurans ſœpe nihil probavit & in purgatorio præſumptiones contra ſe habet; ſic is, cui ſuppletorium impoſitum fuit, probationem ſemiplenam pro ſe jam attulit. Verum cum è contrario hoc, ut judiciale, ex voluntate partis non præſtetur, ſed perinde ad id a judice, ut ad purgatorium alioquin, altera parte etiam invita, perveniatur, inde contrarium verius, & ſimiliter ratione hujus hæredibus juramentum credulitatis in locis, ubi ad id admittuntur, adhuc imponendum erit. *Confer.* Pr. L. *P. 1. Lib. 1. a. 7. p. 149. & ſeqv.*

§. XVI.

Caſus nunc recenſendi ſunt, quibus non ſolum jusjurandum a defuncto præſtandum propter præventionem mortis pro non præſtito haberi, ſed nec ad ſupplendum hunc defectum juramentum credulitatis hæredibus illius imponi poſſit. Eſt autem primus, quando ille ante ſententiam ſuper juramenti præſtatione publicatam mortuus eſt. vid. Pr. L. *P. 1. Lib. 1. Tit. 40. art. 7.* ibi: Jedoch alſo und dergeſtalt, wenn das Urtheil des Eydes halben bey Leben des

des Parths gesprochen. Nam hæredes ad juramentum credulitatis de moribus propterea admittuntur, quia pro defuncto, qui per sententiam jurare jussus est, nec juramentum recusavit, aut terminum elabi permisit, præsumptio, quod juste juraturus fuisset, militat; sed hæc, istoc ante sententiam publicatam defuncto evidenter deficit. *Carpz. P. 1. C. 24. Def. 3.*

§. XVII.

Obstat nihilominus quoad juramentum credulitatis suppletorium, quod hoc, licet vel nullum adhuc juramentum defuncto impositum fuerit; attamen ubi de facto illius quæstio est, deferri hæredibus ejus possit. Nam ita filius v. c. si debitum a defuncto contractum repetere velit, & unum saltem testem habeat, qui vidit patrem creditori pecuniam numerasse, ad juramentum credulitatis hoc casu admittitur. vid. *Stryk. in annot. ad compend. Lauterb. p. 325. confer. Carpz. P. 1. C. 23. Def. 8.* Et hæredes cœterum mercatoris, qui rationibus omnibus legitime conscriptis decessit, suppletorium credulitatis juramentum præstare possunt. vid. *Struv. in S. I. C. Exerc. 28. Th. 25. in fin. item Stryk. Us. mod. P. Tit. de fide instrum. §. 11. in fin.*

§. XVIII.

Sed utut hoc quidem in casu juramentum credulitatis in hæredibus praxis admittat, non tamen illa juri ac rationi satis congruit. Nam debet hic jurans locum deficientis unius testis supplere. Atqui vero ut alioquin testis, si de credulitate deponat, in aliena causa fidem non facit, ita actori in propria multo minus credendum. vid. *Stryk. in annot. ad Compend. Lauterb. l. c. confer. Us. mod. Tit. de jurejur. §. 37.*

§. XIX.

§. XIX.

Secundus casus est, ubi is, a quo juramentum præstandum fuit, id ac quidem absque causa recusavit. Pr. Lr. *loc. supr. all. p. 150. verb.* Und sich des Eydes expresse sine causa in actis oder sonsten nicht geweigert, nam tum perjurii metus, a juramento merito & hæredes arcet. Haud quicquam interim credulitatem suam sub juramento confirmare iis etiam tunc interdictum erit, quando, cui juramentum impositum fuit, post appellationem interpositam, durante illa e vivis excessit. vid. Pr. Lr. *l. c. ibi:* Ob er gleich von dem Urtheil, darinnen ihm der Eydt auferlegt worden, appelliret. Nam per hanc, provocans non necessario se a juramento abhorrere, sed illo saltem præcise opus non esse, aut gravari se eò haud posse, docet. Exemplum cœterum justæ recusationis aliud in §. 6. circa finem occurrit.

§. XX.

Quid vero? si defunctus citra appellationem noluerit jurare, sed conscientiam suam aliis probationibus exonerare intenderit, & in probando defecerit? Nondum & hoc casu recusatio juramenti absque causa erit. Recurrere præterea defunctus, qui reus fuit & innocentiam suam aliter probaturus defecit, ad juramentum adhuc potuerat Pr. Lr. *P. 1. Lib. 1. Tit. 33. §. 3. verb.* Da er gleich zu Vertretung seines Gewissens, keine gnugsahme Beweisung geführet, gleichwol der gemeinen Practiquen nach, den Eydt nochmahls schweren kan. *Carpz. P. 1. C. 24. Def. 7.* Quidni ergo & hæredibus quoad juramentum credulitatis in jus hoc defuncti succedere permissum erit?

§. XXI.

§. XXI.

Tertius jam casus, ob quem nec hæredes de credulitate jurant, est, quo juraturus terminum, intra quem se ad jurandum offerre vel præstare juramentum debebat, præterlabi passus est, ac hinc diem., post illum plane jam elapsum, obiit. Pr. Lr. *P. 1, Lib. 1. Tit. 40. art. 7. verbis:* **Er aber den Terminum bey seinem Leben nicht verfliessen lassen.** Est autem de jure Prutenico & Saxonico, terminus ad se offerendum, octiduum, quoad ipsam vero juramenti præstationem spatium sex septimanarum & trium dierum. Utrumque a tempore lapsi decendii, postquam scilicet sententia, per quam quis jurare jussus est, in rem judicatam transiit, computatur. Pr. Lr. *P. 1. Lib. 1. Tit 40. a. 6. Dn. Grube in proc. for. prut. c. 25. §. 35. & 38. Confr. Carpz. P. 1. C. 12. D. 6. & 7.* In Tribunali tamen terminus præstandi juramenti, statim à die publicati decreti currit Pr. Lr. *P. 1. Lib. 1. art. 4 pag. 256.*

§. XXII.

Pro casu quarto habendum, quando quis, postquam juramentum quidem acceptavit, atque ad illud se obtulit, deinceps tamen circa præstationem ejus, termini prorogationem petit, eumque de die in diem, citra justam causam protrahit, ac sub tempus culposæ hujusmodi tergiversationis moritur. Nam præterquam quod hic juramentum credulitatis verba juris Prutenici loco proxime alleg. **oder sich sonsten nicht geweigert** excludant, obicem illi etiam suspecta facile defuncti conscientia tum ponit.

§. XXIII.

Non tamen hæredes tam a juramento credulitatis excludendi, quam potius ab illo sæpenumero absolvendi, erunt, ubi defunctus juramentum purgationis in causis criminalibus præstare recusavit. Nam prout quoad has, ad

 ter-

terminum, intra quem juxta §. 21. ad jurandum se offerat, vel juramentum præstet, præcise adstrictus non est, vid. *Carpz P. 1 C. 12. D 15.* sic &, quando se juramento in iis purgare renuit pœna saltem extraordinaria afficitur, quoniam tum non nisi ex præsumptionibus, quæ alias ad pœnam ordinariam non sufficiunt, condemnari potest *Brunnem: in proc. civ c. 23 n 36. Dn Ludovic. in Usf. pract. dist. dist. 12. p. 129.* Quare si hæc relegationis, carceris vel alia similis fuerit, juramentum credulitatis ab hæredibus frustra exigetur, quia pœna ejusmodi morte rei prorsus extinguitur. Ac ita multo minus eò, quoad pœnam prædictam, opus erit, ubi jurare, intra terminum sibi præfinitum, paratus, ante juramentum decessit, non quidem quod tum ob mortem juramentum purgationis pro præstito habendum sit, sed quod pœna illa saltem recusanti irrogetur, ac præterea penitus ac in se morte, vel juramentum præstare renuentis, tollatur.

§. XXIV.

Ubi porro attentionem haud meretur, quod hæredes tamen hoc casu tanquam compurgatores jurare possint, maxime cum juramentum horum tantum de credulitate sit. *Can. 13X. de purgat Canon.* Etenim ut præter adductas rationes non memoremus, juramentum tale de moribus abolitum esse; sane & compurgatio purgationem seu juramentum ipsius rei præsupponit, quale hoc casu in totum cessat. *confr. Oldendorp, act. for. progymn cl. 7. p. 1012. Brunnem. in proc. inquis. cap. 9. n. 6.*

§. XXV.

Quæritur porro circa judiciale Juramentum in specie, num, sicubi id relatum fuerit, & actor ante præstationem ejus moriatur, idem etiam, quod circa delatum hucusque observavimus, jus obtineat? Et respondetur affirmando,

mando, quoniam quoad hoc punctum par utriusque juramenti ratio est. vid. *Carpz. P. 1. C. 24. D. 6.* & nostrum jus Prutenicum *P 1. Lib. 1. Tit. 40. art. 7.* generaliter dicit, wie und welchergestalt die Eydes-Leistung den Erben zuerkennen sey; non igitur distinguit hoc casu inter juramentum de- ac relatum, hinc & nostrum distinguere non est.

§. XXVI.

Sed numne deferens, quando, postquam juramentum illi relatum est, intentionem suam aliis probationibus defendere intendit & interim vitâ defungitur, pro tali, qui juramentum absque causa recusavit, habendus erit? Ratio id asserendi esset, quod actor in casu juramenti sibi relati ad alias probationes prorsus confugere nequeat. Pr. Lr. *P. 1. L 1. Tit. 33. §. 4. verb.* Trüge es sich aber zu daß Klägeren von dem Beklagten der Haupt-Eydt referiret würde, so soll der Kläger in solchem Fall gantz keine Beweisung zu Vertretung seines Gewissens, oder zu Ergründung seiner Klage führen, sondern den referirten Eydt stracks zu leisten schuldig seyn. *Confer. Carpz. P. 1. C. 14. D. 4.* Verum cum deferens juramentum delatum ob novas probationes revocare possit. *L. 11. C de Reb. cred.* Pr. Lr. *l. c.* §. *3. in fin.* nulla ratio, si rem, seposita speciali juris prutenici dispositione, in se consideremus, etiam obstat, quare iis ipse uti nequeat, quando ad ejus arbitrium probatio rediit. *Titius ad Compend. Lauterb obs. 335 p. 219.* maxime cum juramento demum in casu aliarum probationum deficientium locus sit. Unde nec hoc casu vel juramentum absque causa recusatum erit, vel hæredes a juramento credulitatis recte excludentur.

§. XXVII.

Ast num cœterum hæredes deferentis præter jura-

mentum credulitatis principale, ubi ad illud admittendi sunt, juramento insuper malitiæ gravandi erunt? Respondetur negando, quoniam quod vel ipse deferens præter juramentum principale relatum de jure Saxonico, vid. *Carpz. P. 1. C. 14. D. 5.* & prutenico juxta *pag 146.* §. 4. *P. 1. Lib. 1.* etiam de calumnia juret, ultra necessitatem receptum est. Nam qui potest jurare, adversarium sibi aliquid debere, is utique hoc ipso satis ostendit, quod juramentum ab illo, eo nomine, quod nihil debeat, malitiose non exegerit. Unde sic ejuratio calumniæ in præstatione juramenti principalis jam continebitur. vid. *Brunnem. in proc. Jur. civ. c. 23. n. 17. Titium ad Compend. Lauterb. obs. 334. Beyer. in posit. ad ff. Tit. de jurejur. pag. 263.*

§. XXVIII.

Ut vero tandem a juramento credulitatis mors jurare parati hæredes regulariter immunes non facit: sic in cassum istud, ne eo onerentur, referent, defertur namque id hodie 1) a Lege seu constitutione & 2) tunc vere demum, ubi defunctus illud haud renuit sed præstationem ejus intra terminum legitimum acceptavit. At vero prout juramentum legale referri nequit, ita nec ejusmodi quod defunctus admisit, ac omnem sic referendi facultatem a se circa id abdicavit. Nec enim plus juris hæredes habere possunt quam ipsis a defuncto relictum fuit. *vid. Carpz. P. 1. C. 24. D. 10.*

§. XXIX.

Quodsi tamen ad alias probationes confugiant, & exinde juramentum credulitatis præstare recusent, jure hoc probandi minime exclusi erunt, adeo, ut, si in probationibus defecerint, ad prædictum juramentum adhuc redire possint. Nam cum quod defuncto denegatum, illo similiter & hæredi interdictum sit, sane quicquid e contrario ille facere potuit, ejus non minus & hæres compos erit, quia hic in universum jus quod defunctus habuit, succedit. *L. 59. & 62. ff. de Reg. Jur. Carpz. P. I. Const. 24. Def. 9.*

Nulla


Ulla dies abeat, quin linea ducta supersit,
Hoc Linemannus juris in arte probat.
Ferbuit hic ejus studium, post Lipsia fulgens
Accendit tanto cœpta decora magis,
Perpetuo verax sit ceu Baptista Johannes,
Candidus aque gradu sic bene dictus erit,
Nec vera magnaque satis, quam jure meretur,
Vivus vel moriens laude carere potest.

His nobilissimo atque Consultissimo suo Candidato gradum dignissime promeritum ex animo gratulatur

Præses.


Uid prosunt literæ, si non doctrina sequatur?
Vel Themidos Leges quid didicisse juvat?
Evolvisse libros presse noctesque diesque,
Quid confert? quænam commoda? quæque bona?
Nulla equidem, plane fateor, nisi justa facultas
Informare alios, jusque docere, detur.

Hæc

Hæc TECUM reputans animo, *Juvenis clarisſime Virque*
Extemplo cathedram ſcandis, & alta petis:
Muneris atque memor, quoniam eſt conceſſa facultas;
Juſtitiam dextre TE didiciſſe, doces.
Nunc aliis poteris tali prodeſſe labore
Nec male conatus, nec ſine fruge cadet.
Quare fauſta precor, ducant TE fata benigna,
TE foveat Numen, TE regat ipſa Themis.

Ita Nobil. atque clare docto Dn. CAROLO THEOD. LIENEMANNO, Auditori ſuo quondam perinduſtrio & dilectiſſimo, nunc vero fautori & amico æſtumatiſſimo, cum pro Candidatura rite obtinenda publice diſputaret, ſincere gratulari voluit



Scrib. Lipſiæ
M. Auguſto
CIↃIↃCCXXIX.

Abraham Kæſtner, U. J. D.

CAROLVS THEODORVS LIENEMAN,
JURIS UTRIUSQVE CANDIDATUS,

per Anagramma:

SCIAS, VERUS ANNORUM QVAESTUS
HUIC ARIDET, DETUR ILLI DONO.

R.H.S.I.C.

